

Albert Willebrand

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Albertus Willebrandt/ U.I.D.  
... Matronae Barbarae Domanniae; Viduae Quistorpianae, Funus indicit, Et ad  
eundum exequias Omnium ordinum Cives Academicos sedulo serioq[ue] invitat**

Rostochii: Kilius, 1663

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777439247>

Druck Freier  Zugang



Willebrand, A.,  
in  
**B. Domann,**  
uxor. Quistorp.  
Rost. 1663.

69







PROGRAMMA

Quo

RECTOR

UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

ALBERTUS Willebrand/ U.J.D,

Codicis Profefs. ac Consistorii Du-  
calis Adfessor,

*Clariffima MATRONÆ*

BARBARÆ  
DOMANNIÆ;



quæ QUISTORPIANÆ,

Funus indicit,

*Et ad eundum exequias*

Omnium ordinum CIVES ACADE-  
MICOS sedulo seriòq; invitat.



ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr. Anno 1663.



( 0 )

vita  
rio sa:  
& cum  
via

**A**TAS MEA TRANSPORTATA EST ABS ME  
TANQUAM TENTORIUM PASTORALE:  
PRÆCIDI, UT TEXTOR TELAM, VITAM  
MEAM. Hæc de se jam jam moriturus HISKIAS.

Quem quidem geminâ similitudine fugacitatem vitæ præ-  
sentis adumbrare advertas. Quarum altera desumatur à  
tentoriis Pastorum; à telis textorum altera. Sveverunt opi-  
liones tabernaculum construere ex asseribus, idemq; dua-  
bus vel quatuor rotis impositum de loco in locum profer-  
re. Quin messis atq; vindemiæ tempore, in agris vineisque  
umbracula sivè turguria struunt agrorum vinearūq; custo-  
des, quæ finitâ messe & vindemiâ, vel destruunt, vel collabi  
finunt. Non absimilis hominum, etiam in Regiâ fortunâ  
positorum, vita est. Ubi minimè id futurum arbitrantur,  
mutatur locus, finitur vita, tabernaculum domus terrestris  
destruitur. PRÆCIDI, UT TEXTOR TELAM, VITAM  
MEAM. Quid REGI cum Textore? inquires: Textura vilis  
ac contempta vulgò est, fateor; at non indignam judicavit  
REX potentissimus, idemq; piissimus, quam instituto exi-  
miè suo accommodaret. Magna telæ ac lini est dignitas,  
magna utilitas; Magna vitæ hujus dignitas, magna uti-  
litas; quippè cujus rectè collocatæ usus non angustiis vi-  
tæ hujus terminis circumscribitur, sed in omnem  
extenditur usq; æternitatem. Tela stamen & subtegmen  
complectitur. Stamen vitæ nostræ sunt anni, quos divina  
desi-

definit, aut ad mensa cuiq; est, providentia. Subtegmen-  
non absurdè crucem & ærumnas vitæ præsentis appellites.  
Tela alia longior, alia brevior, citius alia, alia tardius rescin-  
ditur, prout textori placuerit, aut ex re visum fuerit ipsâ.  
Nec alia profectò vitæ conditionisq; humanæ fors est. Lon-  
gævus fuit MATUSCHELACH: vixit enim, non gentos  
sexaginta novem annos. At multò angustioribus & nunc,  
& pridem, vita nostra spaciis includitur. Ex re & vero *beo Ci-  
liscat* MOSCHE. *Quod attinet ad dies annorum nostrorum,*  
*in eis sunt septuaginta anni; sed, admodùm invalescant, octoginta*  
*sunt: ceterùm omnis eorum excellentia, labor & molestia.* In qui-  
bus verbis minimè dimittendum, aut silentio prætereun-  
dum est, quod ait divinus VIR, *excellentiã xpi humani non*  
*nisi laborem ac molestiam esse.* Quod profectò tanquam ex tri-  
pode dictum videri queat. Firmatur indè omninò, quod  
supra in adducto simili per *subtegmen tela*, ærumnas calami-  
tatesq; vitæ nostratis, sic satis concinnè significari posse, in-  
nuebamus. Sanè *maris* habere instar non immeritò vita hæc  
dicetur. Uti in illo, ita in istâ quoq; fluctus assidui, sæ-  
pe numero tempestas; malacia & tranquillitas rara; portus,  
nisi mortis, nullus. Benè igitur habet si quis ex fluctibus  
istis tandem in portum hunc subvehitur, qui miseris labo-  
ribusq; quos tot annos, tamq; variè patimur, metam figit,  
aut mage imponit finem. Is profectò non impensius que-  
ri debet, quàm qui tædiolissimâ nâvigatione defuncti quie-  
tem tandem pacemq; recipiant. Stultissimos igitur & igna-  
vissimos pariter reputamus eos, qui malint affligi assiduè,  
quàm semel de vitâ exire. Quid enim illa in his terris aliud  
est, quàm vallis confusionis, carcer afflictionis, perpetua  
& ab exilio non differens peregrinatio, periculosa naviga-  
tio, mala mansio. Quid autem Homo? verè imbecillitatis  
exem-

Mo

Sim  
vita

Vita

Hom



exemplar, verè spoliū temporis, verè ludus fortunæ,  
mancipiū laborum, miseriarum gymnasiū, præda de-  
niq; mortis. Nonnè à fletu statim, quod primum nascen-  
tium est omen, vitam ordimur & veluti inviti lucem susci-  
pimus? Nonnè pueritiam inter flagra; robur ætatis inter  
dura operum exigimus, nunc spei, nunc metus, nunc iræ,  
nunc amoris ludibria? Intereâ temporis morti semper  
crefcimus, & semper sumus obnoxii. Quamdiu enim car-  
neam hanc gestare contingit molem, tamdiu & nobiscum.  
mortem circum ferimus, quam non deposituri sumus antè,  
quàm illam exuerimus. Bellè tamen habet. Pervenimus  
hâc viâ eò, ubi nulla amplius urget timendi causa; à pericu-  
lis scilicet in securitatem, à labore in quietem, à dolore in  
voluptatem, ab exilio in patriam, ab alto in portum, ab  
orco in cælum. Itaq; præclare etiam actitatum cum BAR-  
BARA est nostrâ, quæ molestiis omnibus laboribusq; qui-  
bus exposita hactenus non unis fuit, defuncta tandem, nu-  
dius quartus vitam cum morte commutavit. Quam felici-  
tatem summam clarissimæ MATRONÆ meritò exq; animi  
sententiâ gratulamur; & jam porrò, quæ ad commendatio-  
nem ejusdem pertinebunt, quorumq; commemoratio ex  
ultimis humanitatis officiis est, exequimur; vindicaturi hoc  
pacto, quantum in nobis est, beatè defunctæ ab interitu me-  
moriā. Quanquam nil præclare adeò dici in eam scribi-  
vè queat, quin virtus id ipsius & excellentissima indoles lon-  
gissimè omne exsuperârit. Nata itaq; est primariâ *Westpha-*  
*lorum* Urbe, OSNABRUGÆ, Anno 1597. circa S. JACOBO  
sacram diem; Patre quidem Clarissimo & Consultissimo  
VIRO, DN. STEPHANO DOMANNO, JCT.  
Matre verò eximii generis, rarissimarumq; virtutum Fœmi-  
nâ, ADELHEIT Apffelbaume. Qui parentes quum natam ex  
le

se hanc Filiam cernerent, nil habuerunt prius antiquiusq;  
quàm uti sacris continuò initiaretur, i. e. per divinam Ba-  
ptismi aquam ab eâ ablueretur labe, cum quâ, communem  
nascentium sortem imitata, prodierat. Adultiorem ali-  
quantò Amplissimus ac Excellentissimus Patruus, JOAN-  
NES DOMANNUS, J. U. D. Fœderisq; Anseatici Syndicus  
gravissimus, adoptavit, sicq; formari fecit, uti sexus sui om-  
nibus aliis, quâ morum integritatem, vitæq; sanctimo-  
niam, clarissimum, quod ipsæ quoq; sequerentur, exem-  
plum foret. Quùm eâ jam ætate conspiceretur, uti susti-  
nere sœtæm Conjugii legem posset, desponsata est, DEO  
ita rem disponente, VIRO pl. Reverendo, Amplissimo &  
Excellentissimo, DN. JOANNI QUISTORPIO, S. Th. D.  
ejusdemq; Professore; quî Superintendenti Ecclesiæ nostræ  
celeberrimo; Qui torus plurima certè felicitatis argu-  
menta habuit. Enit verò & stabilis sic satis fuit, ut qui totos  
XXXII. annos duraret; dein mirâ pace concordiaq; munitus.  
Non litium ibi temerè audires quicquam. Certatum amo-  
ribus est. In quo pugnae genere uterq; contendit ad sum-  
mum: Neuter vicit, aut superavit. Norat Maritus, reti-  
nendæ in officio Conjugi nil facturum magè, quàm favorem  
ac benivolentiam: IPSA vicissim pulchrè didicerat, humani-  
tate atq; obsequio animum Mariti sive demulcere, sive et-  
iam demereri. Deniq; eximiâ etiam fœcunditate coniugium  
fuit; ut ex quo deni ordine liberi gignerentur. I. CATHA-  
RINA; VIRO Rever. & Clariss. DN. THOMÆ LINDEMAN-  
NO, S. Th. D. & apud Hafnienses, Germanici Templi Pastori  
Regio, olim hic Prof. P. nupta; nunc vidua: Unde norû libero-  
rû Mater; ac Senorum Avia. II. MARGARITA, DN. JACO-  
BI Schoffen/ Ampliss. SENATUS Rostoch. Secretarii cla-  
rissimè merentis; VIRI antiquâ sanè virtute ac fide, Uxor;  
cui

cui octies omninò peperit; ex unâ Filiarum jam Avia. III. Matri cognominis BARBARA, Rev. & Clariss. VIRO DN. L. NICOLAO RIDEMANNO elocata; sed jam unâ cū ipso ordini adscripta Cælitum. Undecies Mater, semel Avia, IV. Parenti cognominis non saltem, verùm etiam ejusdem virtutum æmulus JOANNES; utpotè ipse quoq; Theol. jam D. Profels. P. & Pastor Jacobæus; Collega noster & Amicus sva-  
vissimus; ex SOPHIA SCHARFENBERGIA, ut eximii sanguinis, sic elegantissimarum virtutum Fœminâ, septies Pater. V. ANNA, DN. MARTINO *Gerdes* / Civi apud nos & Sedecimviro spectatissimo; literarumq; non ignaro, junctâ; quem sexies parentem fecit. VI. MARIA, VIRO Rey. DN. M. MICHAELI *Salden* / apud Dantiscanos Ecclesiæ Doctori clarissimo, nupta; quaternorum liberorum Mater. VII. ENGELA, Eximio ac Honoratissimo VIRO, DN. JOACHIMO WEGENERO, Civi ac Negotiatori primario, quin-  
Centumviro, ac Ærarii publici præfecto: elegantiorum literarum hodiernum, ubi per occupationes operasq; alias licet, cultori industrio; nuptum data: qui torus cætera omnia felix, hoc unum habet infortunii quod hætenus stet illiberis; contra morem cæteroqui Gentis *Quistorpia*. Præterea & JOACHIMUM produxit NOSTRA; uti & ENGELAM aliam, mox, ubi nati essent, defunctos: Nec minùs Filio-  
lam, in utero materno enectam jam antè quàm dias luminis auras conspicaretur. Ut adeò, si calculus instituat, X. animarum Mater, LV. verò Avia & Proavia factitata, singulari fæcunditatis exemplo, fuerit. Cæterùm quemadmodum in omni omninò vitâ sine notâ semper & fabula vixit, nilq; nunquam omisit earum rerum, quæ sexum istum mirificè ornare viderentur; sic post Mariti præcipuè obitum ea esse studuit, in quam, quasi in speculum, viduæ omnino  
omnes

omnes intuerentur. Toto itaq; eo tempore his, quæ mundana ac ludicra forent, valere penitus iussis, Cælo DEO que vacavit, nec quicquam unquam lectari visa est, nisi quod maximè Christianam pientissimamq; esse argueret. Id quidem hîc scripsisse nobis in laudem MATRONÆ, ac monuisse sufficiat. Cæteræ dotes majores utiq; ac eminentiores in ipsâ fuere, quàm uti satis celebrari abs nobis laudariq; possint. Et textetur prolixior inusitatarum, quibus fultit, virtutum catalogus eâ Concione, quæ habenda ipsi, pro more, est funebris. Nos proin ad extrema properabimus, expedituri, quæ de Morbo ac Morte DOMANNIÆ nostræ accepimus. Illum signavit MEDICUS, VIR Experimentis. & Excell. D N. SEBASTIANUS Wirdig; D. ac Prof. Collega honoratis. his verbis. *Morbis pientissima Matrone ipsa senectus, ob spirituum & virium jacturam, omnis generis valetudinis & vita incommodis non obnoxia modo, multarum potius infirmitatum feracissima fuit & genetrix. Hactenus enim elapsis hisce tribus annis, jam de debilitate stomachi, mox de dolore Colico, mox iterum de lithiasi, ictericia, febribus aliisq; ejusmodi malis sepe numero conquesta. Demum ante octiduum duplex febris, quotidiana cum atroci tertiana complicata, corpus senile, morbis antea exinanitum, gravissimis tandem symptomatibus die 11 Augusti, absq; ulla tamen mentis amotione, planè exanimavit, vitæq; Colophonem imposuit. Hactenus ille de valetudine FUNCTÆ; sed ita, uti Mortem quoq; non omninò tangat nullus. Nos indè repetimus meritò & tanquam eximium DEI donum deprædicamus, quod integris sensibus, nec animo sede suâ moto expiravisse innuat. Nam (quod identidem hac occasione allegare ex disertissimo ROMULI Nepotum sivevimus) quis melior esse vivendi finis queat, quàm cum constante sibi prorsus mente, certisq; sensibus, opus ipsa suum eadem, quæ*

quæ coagmentavit; Natura dissolvit. Sed & alia in moriente virtus fuit, hæc ipsâ longè excellentior. Obiit medias inter preces: inter tot vota ac suspiria. Obiit fixâ ac immotâ in CONSERVATOREM fide. Obiit commissos in omni vitâ errores ex animo dolens, ac humillimè deprecata. Obiit non antè, quàm per Rev. & Clariss. VIRUM DN. JOACHIMUM LINDEMANNUM, Archidiaconum Marianum præclarè merentem, corpore & sanguine pasceretur ejus, qui utroq; mercatus ipsam fuerat. Ut verbo expediamus: Obiit quemadmodum vixerat; i. e. ab omni parte PIE ac FELICITER.

Vos, CIVES ACADEMICI, frequentes in funere TANTÆ MATRONÆ comparete; ite magno numero exequias: & vestræ ipsorummet mortalitatis studiosè reminiscimini.

*P. P. sub sigillo Rectoratus. 14. August.*

Convenietur Horâ I. pomerid. in Æde  
B. JACOBO sacrâ.













omnes intuerentur. Toto itaq;  
dana ac ludicra forent, valere pe  
vacavit, nec quicquam unquam  
maximè Christianam pientissim  
dem hîc scripsisse nobis in laud  
isse sufficiat. Cæteræ dotes maj  
in ipsâ fuere, quàm uti satis cel  
possint. Et textetur prolixior in  
virtutum catalogus eâ Concio  
more, est funebris. Nos proin  
expedituri, quæ de Morbo ac  
stræ accepimus. Illum signavit  
entis. & Excell. DN. SEBAST  
Collega honoratiss. his verbis.  
*ipsa senectus, ob spirituum & virium  
tudinis & vita incommodis non obno  
firmitatum feracissima fuit & genetri  
tribus annis, jam de debilitate stoma  
iterum de libiâse, ictericia, febrib  
numero conquesta. Demum ante od  
na cum atroci tertiana complicata,  
exinanitum, gravissimis tandem symp  
ulla tamen mentis amotione, planè ex  
imposuit. Hactenus ille de vale  
uti Mortem quoq; non omninò  
repetimus meritò & tanquam ex  
dicamus, quod integris sensibus  
expiravisse innuat. Nam (quo  
allegare ex disertissimo ROMUL  
melior esse vivendi finis queat  
prorsus mente, certisq; sensibus*

his, quæ mun  
Cælo DEO que  
a est, nisi quod  
rgueret. Id qui  
ONÆ, ac monu  
c eminentiores  
nobis laudariq;  
t, quibus fulsit,  
benda ipsi, pro  
properabimus,  
MANNIÆ no  
VIR. Experi  
rdig; D. ac Prof.  
ntissima Matronæ  
mnis generis vale  
ultarum potius in  
enim elapsis hisce  
dolorè Colico, mox  
smodi malis sepe  
x febris, quotidia  
, morbis antea  
e 11 Augusti, absq;  
itag, Colophonem  
ICTÆ; sed ita,  
llus. Nos indè  
Idonum depræ  
o sede suâ moto  
m hac occasione  
svevimus) quis  
n constante sibi  
a suam eadem,  
quæ

